

DECEMBRIS

Die 4 Decembris

S. Ioannis Damasceni, presbyteri et Ecclesiae doctoris

Memoria

Ant. ad introitum

Ps 36, 30-31

Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium; lex Dei eius in corde ipsius.

Collecta

Præsta, nobis, quaesumus, Domine, sancti Ioannis presbyteri precibus adiuvari, ut vera fides, quam ille excellenter docuit, sit semper lux et fortitudo nostra.
Per Dominum.

LECTIO PRIOR

«Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum»

Lectio Epistolae secundae beati Pauli apostoli ad Timotheum
1, 13-14, 2, 1-3

Carissime:

Formam habe sanorum verborum quae a me audisti in fide et dilectione quae sunt in Christo Iesu; bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis.

Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quae est in Christo Iesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere.

Collabora sicut bonus miles Christi Iesu.
Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 18, 8. 9. 10. 11 (R.: Ioan 6, 64 b)

℟. Verba tua, Domine, spiritus et vita sunt.

- 1 Lex Domini immaculata, reficiens animam, testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis. ℟.
- 2 Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda, praecipuum Domini lucidum, illuminans oculos. ℟.
- 3 Timor Domini mundus, permanens in saeculum saeculi, iudicia Domini vera, iusta omnia simul. ℟.
- 4 Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum stillantem. ℟.

ALLELUIA

Io 14, 23

℟. Alleluia ✠. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus. ℟. Alleluia.

EVANGELIUM

«Quia super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium domini tui»

✠ Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum 25, 14-23

In illo tempore :

Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc:

«Sicut homo peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est.

Statim abiit qui quinque talenta acceperat et operatus est in eis et lucratus est alia quinque; similiter qui duo acceperat lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terra et abscondit pecuniam domini sui.

Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum et posuit rationem cum eis.

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: «Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum.»

Ait illi dominus eius: «Euge, serve bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui.»

Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: «Domine, duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo lucratus sum.»

Ait illi dominus eius: «Euge, serve bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui.»

Verbum Domini.

Super oblata

Placeat tibi, Domine sacrificium
in beati Ioannis commemoratione exhibitum,
qui sanctorum nos docuit imagines colere,
implorare praesidia virtutesque imitari.
Per Christum.

Ant. ad communionem

II Cor 3, 18

Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eam-

dem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tamquam a Domini Spiritu.

Post communionem

Tui, Domine, perceptio sacramenti
ab omnibus nos caducis rebus avertat,
ut, beati Ioannis exempla sectantes,
te super omnia semper inquirere discamus.
Per Christum.